



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Quęstio 1. An illa particula addenda sit, Et proximum tuum sicut te ipsum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

pitibilem, inuisibilem, mundi architectum, Deum denique? *Ans. Sane. Orth.* Sicut ergo patris essentiam dicis immortalē, incorruptibilem, inuisibilem, mundi architectum, non ita & filium eandem essentiam dicis? *Ans. Sane. Orth.* Filium autem nunc vocas patrem? *Ans. Nequaquam. Orth.* Pater ergo non est proprium quiddam essentiae, sed hypostasis. *Ans. Quomodo? Orth.* Quoniam quae propria sunt essentiae, similes sunt communia Patri & Filio & Spiritui sancto. Pater autem non est commune quiddam, non est igitur Pater proprium essentiae, sed hypostasis. Quod si aliud est proprium hypostasis, & alia sunt proprietates essentiae, non idem signifi- cantur essentia, & hypostasis.

Qua ex relecti intelligit quomodo Ariani oppug-  
nare Catholicos soliti sunt, quamque locus hic in-  
ter priscos fuerit iactatus, diabolo vbique rem suam  
agente, & nostris etiam temporibus Arianis in Tran-  
silvania fluentibus veterum errores renouantur. Mi-  
ras est Beze hoc loco parallogismus, Appositissimus est  
hic locus ius, qui suis meritis vilo modo gloriantur ad per-  
fessionem doctrinae legalis ex legislatoris maiestate, non ex iis  
quae ipsi se praestitisse somniant aestimandam reuocandis, ne-  
dum vt sua doctrinae maiestas in hunc alium referant. Re-  
spondendum est: Nulli vilo modo suis meritis glorian-  
dam esse, cum enim fundamentum meritum, sit  
gratuita gratia creatoris, cum ipsa merita sint dona  
Dei, actus S. Spiritus auxilio collata non potest me-  
ritis quicquam gloriari. Non sequitur ideo merita  
nullae esse, si solus Deus sit bonus: Neque sequitur,  
id est non esse merita, quod perfectio doctrinae legalis,  
sive legislatoris maiestate aestimanda, non ex o-  
peribus nostris. Neque enim opera nostra merita  
esse dicimus ex se seu natura sua, sed ex maiestate le-  
gislatoris, adiutoris, acceptatoris ad ea concurrens  
ex promissione beneuolentissima, qua fit vt im-  
perfectis operibus pramia tanquam meritis largi-  
atur. Contradus Vorstius magis ad Catholicos in hac  
controversia accedit. Non negamus, inquit, bona o-  
pera sumus, esse vere bona sancta, pura & Deo grata: sed  
negamus ad pura & perfecta esse, vt sua propria perfectione  
inducto Deo recte respondere, ad vitam aeternam ex con-  
grua meritis possint. Negat etiam opinionem Calu-  
tinorum praecipue niti verbis Isaiae, vbi iustitias no-  
stras comparat panno menstruato. Nam multos suo-  
rum D. Putorio assentiri. Denique concludit, [ Ita-  
que quae enim nullam nobis succedendi causam habet,  
& quod dogma de meritis nostris in hac iustificationis  
& salus aeternae materia constanter repudiamus;  
& quoniam nihil aliud hic damnemus, quam superbiam il-  
lam de propria nostrorum operum dignitate opi-  
nem, quae inuicem quamdam fiduciam & gloriatio-  
nem in nobis ipsis secum trahere solet.]

Hanc opinionem nos quoque damnamus, nec tamen idem proprie dictum meritum negamus. Nam opere facti debitum est ex divina promissione. Gloriatum autem omnino tollitur, cum dicimus omne meritum esse donum Dei ex gratia adoptionis, adiutorio speciali, denique dicimus requiri promissionem gratuitam, sine qua nullum meritum agnoscerimus. Et Bellarmin. docet, lib. 5. de iustif. cap. 14. Verius tamen Bellarmini sententiam non recte interpretatur. Verba Bellarmini sunt, lib. 5. de iustificatone, cap. 17. Nobis media sententia probabilior esse videtur, quæ docet opera bona in ipsorum meritoria esse vite æternæ ex condigno ratione pacis, & operis simul, non quidem quod sine pacis vel acceptationis non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam, sed quia non reneitur Deus acceptare ad illam mercedem opus bonum, quantum par & æquale mercedi, nisi contento interueniat. Quam sententiam conformem

esse non dubitamus Concilio Tridentino, & Principibus Theo-  
logorum sancto Thome in 1. 2. questione 114. articul. 1. ad  
3. & articul. 3. sancto Bonaurenture, & aliis in 2. sentent.  
dist. 29.

Factum igitur requirunt omnes, nam ex solo pacto debitum fit.

Hoc vero cap. 18. exponit: Vt dicat non requiri aliquam æqualitatem inter opera & mercedem, sed proportionalem, vt d. gnius sit præmio quodam proportionem. Nec tamen hoc est substantiæ operum aut vi dignitatis operum, quæ enus sunt actiones quædam agentis ratione vtentis, sed vt a Dei gratia & supernaturali auxilio Spiritus sancti procedunt, atque hanc vocamus proprie operum dignitatem.

QVÆSTIO II.

*An ad vitam ingredi volenti seruanda sint  
mandata?*

§. 1. **T**a Christus pronunciat, & ratio suadet. *Qui enim à Deo tantum præmium expectat, opus est vt legibus quæ ipse fixit, obtemperet. Cum interrogat quæ sint manda a, haud fide id facit, existimat enim quædam singularia Christum propositurum. Deesse autem aliquid putabat, vt ait Chrysostom. Homil. 16. in Epist. ad Hebræos. Non pates dicere non Christus nō possum, neque accusare condonare, si enim impotentes non irrisit adfect, & deinde imperet culpa eius est : Quomodo ergo, in-lescentem quis, multi non possunt : quomodo ergo multi volunt : si enim voluerint omnes poterunt : Habemus quippe cooperato-rem, & adiutorem Deum : tantum velimus, tantum opere adcedamus ad rem ipsam.*

§. 2. Quæ Calvinus hoc loco de fictis d. uotionibus, de bonis operibus de lege seruanda nugatur, meræ calumnie sunt. Non enim nos aut operibus sine gratia factis, aut fictis vitam æternam mereri nos dicimus, sed mandatorum obseruationem dicimus ad salutem necessariam, & Christum id serio docuisse, non ludibrio habuisse adolecentem, si enim mandata per Dei gratiam seruati non possunt, & iocatus est Dominus, quid tandem certi in factis literis inuenimus?

VERSUS 19.

*Honora patrem tuum & matrem  
tuam: & diliges proximum tuum  
sicut teipsum.*

QVÆSTIO I.

*An illa particula addenda sit. Et proximum tuum  
sicut te ipsum?*

§. i. Q Vadam exemplaria habent *ἡμεῖς* vs, sic  
& nos ter legit; est in regis: multa græca o-  
mittunt. Origenes omitterund censet, & proximi-  
um sicut teipsum, siue vt Syrus habet *אֶתְּךָ*  
*Aich naphschach, sicut animam tuam.* rationes adfert pa-  
rum solidas. Nempe apud Marcum & Lucam omit-  
tit. Verum nouit ipse ylitatum esse, vt vnus Euan-  
gelista omitat, quod alius recenset, aliqui ex Marco  
deciendū esset, quod ait in hac eadem historia, ado-  
lescentem in genua procidisse, Iesum eum dilexisse.  
Quin etiam Marcus addit *ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν τῇ συγγένει, ne fraudem se-  
cerit*, quod tamen in Matthæo non est, nec ideo tamen

in Marco supposititum est, quia in Matthæo non est scriptum.

§. 2. Obicit Origenes: Rem eandem iterari sine causa. Responso facilis. In his, *dilige proximum sicut te ipsum*, contineri præcedentia, nec otiose tamen hoc addi, sed exegetice. Nam adhuc alia nonnulla addi poterant, quæ omnia continet hoc diligendi præceptum, perinde enim est ac si Dominus dicat. *Non occides, &c.* Et vno verbo, *diliges proximum sicut te ipsum*, at vero si hoc præceptum seruet iam nihil deest illi, Dominus vero aliquid deesse vnum illi affirmat apud Marcum 10. 21. *Et vni vni vnum tibi deest.* Vnde est deficiere, lassari, ut illi qui à tergo relinquuntur, & non perueniunt ad scopum, aut nimis tarde veniunt. Occurrit Origeni Beza; Non intellexisse Origenem, quia de re ageretur. Non enim iuuenem vere respondisse, & hunc latentem morbum, quod proximum non diligeret Christum detexisse. Verum Beza aut non intelligit, aut sciens volens sensum peruerit. Christus enim mandata profert, deinde eorum summam, nempe dilectionem. Cui adolescens respondet; se etiam seruasse, ut proximum diligeret sicut se ipsum, eo nempe modo quo solet in hac vita fieri. Hæc tamen professum intuitus Iesus dilexit. Quid igitur deerat ad perfectionem? Respondeo consilii diuini, non præcepti executio, ut omnia venderet, Christum sequeretur. Fiuolum vero est quod oggerit Beza; Christum non venisse ut nouam legem conderet, sed potius nos à legis maledictione liberaret. Quasi vero non & nouam condere legem, & à legis conditæ maledictione nos liberare potuerit. Condidit sane leges sacramentorum aliasque, & à maledictione legum nos liberauit, non ut committentibus in legem impunia sint scelera, ut dando gratiam qua lex obseruatur.

## VERSVS 20.

*Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiri à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?*

## QVÆSTIO I.

*An seruauit adolescens mandata?*

§. 1. **N**on est mentitus. Non enim eum Christus reprehendit, sed ad maiorem hortatur perfectionem. Imo, ut ait Marcus, dilexit eum: mentientem autem non diligeret. Notarunt hoc non modo Catholici, sed ex Hæreticis Musculus, qui mentitum prorsus negat, quia Marci 10. Christus eum intuitus amauit. Nec obstant diuitiæ, nam Abraham, Isaac, David, Iosaphat, Iosias diuites fuere, nec diuitiæ sunt signa auaritiæ, sed diuinæ largitatis, licet magni auctores eum eius vitii arcestant.

§. 2. Bullingerus arrogantem fuisse fingit. Caluinus legem illi mortuam fuisse, stulta fiducia ebrium fuisse, Christum auaritiæ eius morbum detegere. Bullingerus, de operibus ira loquitur, ut videatur Catholicus, sed postea in aliam hæresin incidit, quæ est multorum in Hollandia. *Habes in hisce pauculis verbis quid boni facies, & qua pateat ad celos via.* Et paulo post: certissima enim via ad vitam est seruare mandata. Discretem enim & infallibile verbum Dei est, si viæ ad vitam ingredi, seruare mandata. Deinde docet non pugnare hoc cum doctrina de iustificatione, quæ per fidem est, sed tandem infert, eum seruare mandata, qui per fidem credit se saluari. Vnde iam planum sit, inquit, & indubitatum, si dem in Dominum nostrum Iesum Christum esse obseruationem legis.

Quando per fidem illud facimus, propter quod lex instituta est. Nihil à mente Christi alienius dici potuit. Sensus enim esset, seruare mandata, non occides, non furaberis, &c. Hoc est, crede te saluum fore, & propter Christum tibi peccatum non imputari, inde consequeris, ut dicaris seruasse mandata, etsi occidas, fureris, mœcheis, tantum crede. Quod si mores inducantur, Christianorum vitæ omnium Ethnicorum conuersatione deteriores euadere necesse est. Quid enim reliqui illi fuerit, qui sola fiducia securus, seruare se omnia præcepta iudicet, modo credat saluum se fore, at vero Christus non hoc monet, ut credat se fore saluum, & sic eum omnia seruaturum præcepta, sed vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Quæro enim an hoc præceptum implet adolescens, non faciendo, sed credendo, præceptum enim fuisse contendunt sectarii, si hoc fiduciam poterat implere, nil opus erat, ut tristis abiret, sed retentis opibus, credenda erat salus, & prædestinatio, si illud faciendo implendum erat, non credendo duntaxat, non igitur nec cetera credendo implentur. Ideoque nec fides est omnium mandatorum obseruatio. Habet ista Bullingerus ex Zwinglio, qui improprium locutionem esse, ait. Nam obseruatio mandatorum, inquit, non est propria causa salutis. Deinde pergit. Quis enim mandata Dei seruet? Qui eum timet & amat, quis vero eum immet & colit? qui credit. Quis credit? qui electus est. Non equidem negandum vitam æternam ex electione esse, sed plures sunt eius rei causæ. Dominus mandatorum obseruationi tribuit vitam æternam, nec tamen Dei electionem, nec Christi meritum, nec sacramentorum efficaciam, nec fidem excludit. Ut vero electos cognoscat, quantum dissideant veteres Martyres & Hæretici: adferam S. Cypriani hunc in locum expositionem. Immortalitate autem petiri quomodo possumus nisi ea quibus mors expugnatur & vincitur Christi mandata seruemus? ipso monente & dicente: Si vis ad vitam venire, seruare mandata. Et iterum: Si feceritis quæ mando vobis, iam non dicam vos seruos sed amicos. Hos denique fortis dicit & stabiles, hos super petram robustam mole fundatos; hos contra omnes tempestates & turbines seculi, immobili & incutussa firmitate solidatos. Qui audit, inquit, verbum meum & facit ea, similibo eum viro sapienti, qui adificauit domum suam supra petram. Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti & impegnerunt in domum illam & non cecidit, fundata enim fuit super petram. Verbis igitur eius insisteret, quacunque & docuit & fecit, discere & facere debemus. Ceterum credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit quod Christus facere precepit? aut unde perueniet ad premium fidei, qui fidem non vult seruare mandati? Nunc necesse est & vageur, & spiritui erroris arreptus, velut pulvis quem ventus excutit, ventiletur; nec ambulando proficiat ad salutem, qui salutaris via non tenet veritatem.

## QVÆSTIO II.

*An consilium sit omnia vendere, an præceptum?*

§. 1. **C**onsilium est; sub conditione enim perfectæ conditionis proponitur, non absolute ad vitam æternam consequendam necessarium, ad particulare enim factum Christus hortatur, non ad aliquod, quod omnibus sit necessarium. Augustinus. Sermo 16. de tempore. Bullingerus à Domino præceptum adolefcenti dicit, ut venditis omnibus se sequatur. Caluinus sibi quidem repugnat, alios vero calumniatur. Repugnat dum faretur, nusquam in lege scriptum esse, ut omnia vendamus, imo negat agricola id licere, melius se alere parçè, & partem dare pauperibus, quam